

- 265 Diripe, bina dehinc mediocria scrinia tolle.
 His armillarum tantum da pannonicarum,
 Donec vix unum relevas ad pectoris imum.
 Inde quater binum mihi fac de more coturnum,
 Tantundemque tibi patrans imponito; vasis
- 270 Sic fors ad summum complentur scrinia labrum.
 Insuper a fabris hamos clam posce retortos.
 Nostra viatica sint pisces simul atque volucres,
 Ipse ego piscator, sed et auceps esse coartor.
 Haec intra ebdomadem caute per singula comple.
- 275 Audisti, quid habere vianti forte necesse est.
 Nunc quo more fugam valeamus inire recludo:
 Postquam septenos Phoebus remeaverit orbes,
 Regi ac reginae, satrapis, ducibus, famulisque
 Sumptu permagno convivia laeta parabo,
- 280 Atque omni ingenio potu sepelire studebo,
 Donec nullus erit, qui sentiat, hic quod agendum est.
 Tu tamen interea mediocriter utere vino,
 Atque sitim vix ad mensam restinguere cura;
 Cum reliqui surgant, ad opuscula nota recurre.
- 285 Ast ubi jam cunctos superat violentia potus,
 Tum simul occiduas properemus quaerere partes?
 Virgo memor praecepta viri complevit, et ecce
 Praefinita dies epularum venit, et ipse
 Waltharius magnis instruxit sumptibus escas;
- 290 Luxuria in media residebat denique mensa.
 Ingrediturque aulam velis rex undique septam,
 Heros magnanimus solito quem corde salutans
 Duxerat ad solium, quod compsit bissus et ostrum.

267 onus H. 268 deinde D. 269 tantundem quanti paternis A. patrato D. 274 inter hebdomadam D. 276 Nec C. Hinc I. 277 febus D. 278. 279 regi ac reginae satrapis convivia laeta parabo D. 279 magnifico I. 281 hoc quid A. hic quid C. hoc quod D. I. 283 restringere B. I. 292 more B. I. 293 quem C. quem bissus compsit B. I.